



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joan. Baptistæ Santolii Canonici Regularis Victorini Carmina Selecta

Santeul, Jean de

[S.l.], 1679

Vota Urbis Aureliae Pro Solemni Digniss. Epicopi Sui P. Du Cambout De
Coislin Ingressu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13401



V O T A
URBIS AURELIÆ
PRO SOLEMNI
DIGNISS. EPICOPÌ SUI
P. DU CAMBOUT
DE COISLIN
I N G R E S S U.



CAMBUTIADUM clarâ qui gente su-
perbis!

RICHELIUS sanguis, SEGUERI augusta
propago,

Grande decus COSLINE: audis si vota tuorum

Jam propera, & sacris redimitus tempora vittis,

Ingredere Aureliam, quæ te suspirat & ardet.

Te matres, avidæque nurus, te læta juvenus,

Ipsi te pueri confuso murmure linguæ

Jamdudum invitant, & nomen ab ubere discunt.

Jam video incensam studiis ardentibus urbem :
 Accinctosque operi huc illuc concurrere cives ,
 Magnificosque arcus , operosaque pegmata Pompæ
 Structa tuæ , & tolli insanas ad sidera moles.
 Sunt qui solliciti pro te dant munera templis :
 Felices ! tua si tantum datur ora tueri.
 Sunt qui longa suis incusant tempora votis ,
 Sunt alii , qui Spe jam alacres bona gaudia captant ,
 Sed diversa inter populorum vota , precesque ,
 Tot motus animi varios , exposceris unus .

Ingredere Aureliam, quæ te suspirat & ardet.

Quin etiam Ligeris te lentis tardior undis ,
 Necnon finitimi vicino è litore fontes ,
 Suspensi dudum expectant , cursusque morantur .
 Quod si forte fluant , lapsu sua tædia produnt ;
 Et tibi visæ etiam , cum summa cacumina motant ,
 Frondibus & trepidæ cunctis , alludere silvæ :
 Et pariter properare , suisque crumpere ab antris ,
 Et gestire omnes magna ad solemnia Nymphæ ,
 Vallesque umbriferæ , collesque , & inhospita saxa ;
 Nam te fama præit venientem , omnesque per urbes ,
 Insignes titulos , Mitramque ostentat in auro ,
 Ingentem Mitram , pendentibus undique vittis .
 Et picta in labaro tua stemmata , nomina gentis ,

Et quod victi hostes tremuere, insigne paternum.

Ergo nunc propera, tibi plaudunt omnia, Præsul.

Magna quidem, sed major erit (Te Præsule) Sedes,
Regia dicetur, priscos renovabit honores

Urbs quondam Regum, & veteris bene conscia famæ

Turritum reliquas inter caput efferet urbes;

Illa memor dicet tua facta, tuosque labores,

Et tot Pontifices inter, te maxime Præsul,

Unum ostentabit, prodetque è millibus unum.

Ingredere ergo tuam, Præsul dignissime, Sedem.

At vos Aureliis quicunque habitatis in oris,

Audite hæc, quantam impendit SEGUERIUS omni

Invigilans Regno curam, quæ maxima cura est,

Aureliæ tantam impendet CAMBUTIUS Urbis,

Pro grege sollicitus per mille pericula Pastor,

Hanc infudit Avus, casti accepere Nepotes,

Divinam hanc mentem, quâ profuit omnibus unus.

Ingredere Aureliam, quæ te suspirat & ardet.

Aureliæ nuper vates cecinere Puellæ

Facta: hæc Imperii pro majestate tuendâ

Bellatrix, magnum nomen sibi fecit ab armis,

Jam tutela urbis, quondam dux Femina belli;

Illius immensos meritis superabis honores,

Et Statuæ ingenti, quam construxere superbis

Sumptibus Aurelii, tua respondebit Imago;
 Certabitque armis pietas, nec habebitur impar.

Ingredere Aureliam, quæ te suspirat & ardet.

Si te nulla movent tantarum pondera rerum,
 Te saltem moveant suspiria longa gementum,
 Tot fontes animæ, stipendia debita morti,
 Quas amens furor, & scelerum vesana cupido
 Præcipites egit: jamjam pœna imminet ingens;
 Da dextram miseris, & nutu solve catenas;
 Nutu namque potes clausos perrumpere vectes.
 Illi è carceribus missi, vinculisque soluti,
 En tua submisso lambent vestigia vultu:
 Quisque suum agnoscet crimen, Sicarius & Fur,
 Transfugâq; & Raptor, thalamorû invalor Adulter,
 Se-se inculabunt, vitæ melioris amore.
 Quos legum timor extremas exegit in oras,
 Et patriam fugiendo, alio sub sole coëgit
 Vitam infelicem multos agitare per annos,
 Hi sese reddent tenebris, atque agmine longo
 Diversi venient omnes de partibus orbis:
 Speratam pro jure tuo dabis, Optime, lucem.
 Quin etiam aspectu semper malè tuta nocentum
 Pectora firmabis, scædatos pulvere vultus,
 Relliquias scelerum, & maculas delebis inanes.

Hoc ne despicias munus, fuit hæc quoque curâ
Pontificum, antiqui renoves vestigia Juris.

Illi autem armatis tundentes pectora palmis
Acceptas animas meliori forte rependent,
Optabuntque mori sanctis pro legibus omnes;
Venturum validis jam te clamoribus urgent.

Ingredere Aureliam, quæ te suspirat & ardet.

Eia age, rumpe moras, populis te redde docendis,
Nati te patrem, Pastorem poscit Ovile:

En tua sponsa jacet, fusos sine lege capillos,
Atque oculos turbata, suique oblita decoris;

Qualis forma decet sponsam post funera sponsi,
Sponsæ redde tuos veluti pro numine vultus.

Et te Roma tuæ gaudet conjungere sponsum
Ante diem, sponsæ; implendos non computat annos;
Ipsi, quotquot habes census, sine fœnore reddunt
Romani Proceres, Latio plaudente Senatu.

Exigat hæc sibi Roma, licet sit debita merces:

In te non hæc jura cadunt, tu munera quanquam
Debita proponas de more, oblata remittit
Sponte, sub augurio magno te Roma salutat.

Si properas; matres, pueri, teneræque puellæ,
Et nomen, laudésque tuas, & carmina dicent.

Si properas; ibit Ligeris jam pulcrior undis,

Centum fluminibus, centúmque hic fontibus auctus,
 Nomine sub magno deinceps prorumpet in æquor.
 Ante tamen proprio gravis exultabit in alveo,
 Ibunt & placidi fontes, & fontibus imis
 Attollent Nymphæ caput & sua gaudia prodent.
Ingredere Aureliam, quæ te suspirat & ardet.

Quò me Musa rapis? sunt hæc, sunt improba vota,
 Fallimur ô vates: ne Regi subtrahe nostro
 Et vultus & puræ exempla domestica vitæ:
 Nam quoties Luparâ in magnâ, tua maxima virtus
 Præconem meruit Regem, dum totus honores,
 Quos alii affectant, renuis: munusque supernum,
 Hanc, dum pendet adhuc, Mitram à cervice repellis,
 Sed te sacra petunt divini munia cultus.
 Edico: submitte caput, jamjam indue vittas,
 Debitus Aureliis, & Regi debitus Heros.
 Rex fineret, tua te virtus rapuisset ab aulâ
 Jamdadum, Aureliæ nunc esses redditus Urbi,
 Nunc regeres populos, populi te iussa ferentem
 Exciperent, tuus ille animi se promeret ardor.
Ergo nunc propera, ni Regia iussa retardent.
 Sume animos, magne ô Præsul, te Principe dignos,
 Regem inter, populosque, tuos partire labores.
 Nam qua parte feres oculos) hanc elige partem)

Omnia se fundent pleno bona prodiga cornu:
 Intereà ne te capiant oblivia nostri:
 Jamdudum sumus ecce tui; juravimus, & stat
 Obsequium, manet & nostros ea cura nepotes.
 Servabis veteres titulos, servabis amores;
 Nec VICTORINÆ dedisces nomina gentis.
 Dudum pollicitus magnos Aulæ inter honores
 Antiquam servare fidem, qua nostra beasti
 Privatus; manet te ardor, semperque manebit,
 Et jam cum titulis, ut crescunt optima, crevit.

Prima tibi pendunt hæc vectigalia Musæ:
 Apto tubam, totoque animum inflammatus amore,
 Cantabo majora, tuas cùm intraveris Arces.
Ingredere Aureliam, quæ te suspirat & ardet.



Omnia sunt bona quae sunt in mundo
Insuper sunt etiam quae sunt in mundo